

non duntaxat *nostro bono*, ut contendunt Photiniani (quanquam ET bono nostro æterno,) sed ET *vice nostra & loco nostro* Licet enim quandoque commodum notet particula ὑπὲρ, in illis tamen locis, in quibus Christus dicitur *pro nobis passus, mortuus, & maledictum factus*, ut Rom. V. 6. 8. Tit. II. 14. 1. Petr. III. 18. 1. Joh. III. 16. & h. l. & c. commodum tantum significare nequit, cum ipse Sp. S. in hoc fidei negotio ὑπὲρ commutet cum ἀντὶ, quod permutationem denotat & *vice ac loco* vertendum est, ut tum ex propriâ præpositionis hujus significatione, tum ex inductione exemplorum, tum ex ipsa Racoviensi N. T. Translatione 1. Cor. XI, 15. Jac. IV, 15. manifestum est. Sic Matt. XX. 28. dicitur Christus *animam suam dedisse, ἀντὶ πολλῶν*, quod est, *vice vel loco multorum* & 1. Tim. II. 6. dicitur *dedisse semetipsum ἀντὶ λύτρωσιν ὑπὲρ πάντων*, *vicarium solutionis pretium pro omnibus, vel vice omnium*. Particula ergo ὑπὲρ in hoc loquendi genere designat vicem vel locum alterius, sive surrogationem & substitutionem Christi in nostri locum. Et quidem in nostro dicto Apostolico ejusmodi substitutionem judiciariam omnes circumstantiæ textus requirunt. Conf. versus 10. 11. 12. 13. 14. sc. quod Christus maledictionem, quæ nobis ob legis violationem incumberebat, in nostrum succedens locum, pro nobis subierit & pertulerit i. e. pœnas universas transgressoribus legis debitas ipse persolverit sua passione & morte. DEus Filio tanquam sponsori & fidejussori nostro debita nostra imputavit, & ab ipso, tanquam promittente reo pœnas peccatis debitas exegit ex lege. Filius verò ultro sese sistens DEO Patri Ps. XL, 10. 11. Hebr. X, 7. 9. vice & loco nostri, & vadem se pro reo homine & debitorem faciens causam nostram, h. e. universa mundi debita exsolvenda & omnia ejus peccata expianda in se suscepit. Atque ita maledictio legis non in promerentem, sed per vadium imputationem suscipientem dirigebatur, qui etiam maledictionem illam divinam verè sensit & sustinuit. Complectitur igitur κατὰ τὴν non solum imputationem, sed etiam sensationem & passionem maledictionis celestis, quod est aliquid morte corporali gravius, ut benè docet B. Dorscheus Theol. Zach. partel.

non

tel.